

Dissertatio physico-medica inauguralis, de Pathematibus Animi, eorumque in corpus humanum effectibus : quam annuente summo numine : ex auctoritate reverendi admodum viri, D. Gulielmi Robertson, S.S.T.P. Academiae Edinburgenae Praefecti : nec non amplissimi senatus academici consensu, et nobilissimae facultatis medicae decreto : pro gradu doctoratus, summisque in medicina honoribus ac privilegiis rite et legitime consequendis / eruditorum examini subjicit Graemius Mercer, Scotus, Soc. Phys. Edin. Soc. Honorarius.

Contributors

Mercer, Graeme.
University of Glasgow. Library

Publication/Creation

Edinburgh, 1784.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/s9d43t6r>

Provider

University of Glasgow

License and attribution

This material has been provided by This material has been provided by The University of Glasgow Library. The original may be consulted at The University of Glasgow Library. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>





DISSERTATIO PHYSICO-MEDICA
INAUGURALIS,

DE

Pathematibus Animi, eorumque in
Corpus Humanum Effectibus.

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

D. GULIELMI ROBERTSON, S.S.T.P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ Praefecti;

NEC NON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI consensu,

Et nobilissimae FACULTATIS MEDICÆ decreto,

PRO GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

Eruditorum examini subjicit

GRÆMIUS MERCER,
SCOTUS,

Soc. Phys. Edin. Soc. Honorarius.

Ad diem 24. Junii, hora locoque solitis.

Animum rege, qui nisi paret,

Imperat; hunc fraenis, hunc tu compeſce catena.

HOR.

EDINBURGI:

Apud BALFOUR et SMELLIE,

Academiae Typographos.

M,DCC,LXXXIV.

UNIVERSITY OF MICHIGAN
LIBRARY

THE UNIVERSITY OF MICHIGAN
LIBRARY

THE UNIVERSITY OF MICHIGAN
LIBRARY

THE UNIVERSITY OF MICHIGAN
LIBRARY

THE UNIVERSITY OF MICHIGAN
LIBRARY

THE UNIVERSITY OF MICHIGAN
LIBRARY

THE UNIVERSITY OF MICHIGAN
LIBRARY

THE UNIVERSITY OF MICHIGAN
LIBRARY

THE UNIVERSITY OF MICHIGAN
LIBRARY

THE UNIVERSITY OF MICHIGAN
LIBRARY

THE UNIVERSITY OF MICHIGAN
LIBRARY

Senatori integerrimo, Patriae Decor,

GEORGIO DEMPSTER,

DE DUNNICHEN, ARMIGERO,

Patrono suo plurimum colendo;

Nec non,

Patri dilectissimo, maximum honorando,

GULIELMO MERCER,

DE DEUGLIES, ARMIGERO;

Hocce tentamen,

Qualecunque fit,

Sacrare voluit

A U C T O R.

Senatori integerrimo, Patriae Dilecti,

GEORGIO DEMPSTER,

de Durnichen, Armiger,

Patriae suo summum colendo,

Non non,

Patriae dilectione, maximum honorando,

GUILIELMO MERSER,

de Deugles, Armiger,

Hocce tentando,

Quiescendum sit,

Statute voluit

AUGUSTO

C O R R I G E N D A

Fig. 9	11	12	13	14	15	16	17	18	19	20	21	22	23	24	25	26	27	28	29	30	31	32	33	34	35	36	37	38	39	40	41	42	43	44	45	46	47	48	49	50	51	52	53	54	55	56	57	58	59	60	61	62	63	64	65	66	67	68	69	70	71	72	73	74	75	76	77	78	79	80	81	82	83	84	85	86	87	88	89	90	91	92	93	94	95	96	97	98	99	100
--------	----	----	----	----	----	----	----	----	----	----	----	----	----	----	----	----	----	----	----	----	----	----	----	----	----	----	----	----	----	----	----	----	----	----	----	----	----	----	----	----	----	----	----	----	----	----	----	----	----	----	----	----	----	----	----	----	----	----	----	----	----	----	----	----	----	----	----	----	----	----	----	----	----	----	----	----	----	----	----	----	----	----	----	----	----	----	----	----	----	-----

C O R R I G E N D A.

- Pag. 9 lin. 4 *pro* probandum *lege* probandam.
— 11 — 18 *insere* , *post* impetusque.
— ib. — 19 *insere* , *post* tensio. '
— 14 — 16 *pro* partibus *lege* paribus.
— 16 — 12 *pro* facili *lege* facile.
— 19 — 3 *pro* incubentes *lege* incumbentes.
— 35 — 4 *dele* , *post* fabulae.
— 36 — 6 *pro* efficit *lege* effecit.

DISSERTATIO PHYSICO-MEDICA

I N A U G U R A L I S,

D E

Pathematibus Animi eorumque in
Corpus Humanum Effectibus.

C A P U T I.

*Quae ad Naturam Pathematum Causasque spec-
tant.*

Sect. I. **M**EDICI nonnulli sunt, omnibus fere se-
culis, qui de medicinae republica op-
time merentur, quia studio rei Hippocraticae non mo-
do quasi artis incumbere placuit, philosophiae vero
auxilio usi, scientiam quoque, omnibus forte aliis tam
longius latiusque patentem, quam utiliore reddide-
runt.

runt. Tali freti auxilio, plurimas res medicas, de quibus olim parum constabat, in lucem satis certam protulere, multasque quidem alias refellerunt stabili fundamento niti habitas. Philosophia denique est qua distinguitur medicus ab empirico. Ille enim, hac matre Dea viam monstrante, suos dirigit gressus certis principiis, cum hic, experientia solum duce, in illius vestigiis prorepit tantum, et nil, aut minimum certe, in medicinae emolumentum publicum conferre possit.

Sect. II. Tantum, sine dubio, profit philosophia accurate digesta et adhibita. Attamen, nemo est qui dolore affici nequit, quia plurima sunt quae ad philosophiam nostram attinent adeo tenebris obruta, et notitia multarum corporis humani partium adeo trunca atque debilis, ut de iis ratiocinationem error, non fides manifesta, sequetur.

Ex nihilo hoc magis constat quam nubilis quae, alicui, quae sit connectio inter animalem machinam, et animam illam rem rationalem, quaerenti, sese obviam dant. Isthæc detergere conati sunt, ARISTOTELES, PLATO, SOCRATES, doctique in omnibus mundi seculis, prout cuique visum; sed adhuc impenetrabilia evaserunt.

vaferunt. Omnino in HALLERI doctissimi illustrif-
 fimique fententiam addico, quod, ‘ Modeste fecerunt,
 ‘ qui ignorare fe hanc vinculi rationem faffi, in legibus
 ‘ adquiverunt quas a Creatore pofitas, non excogita-
 ‘ rent, fed experirentur *.’

Señt. III. Etfi, vero, naturae animae, aut vinculi ra-
 tionis quo corpori jungitur adeo ignari fumus, tamen
 quaedam de hoc ipfo pro certo habemus, quae ad rem
 noftram elucidandam ufui forent. Primo, igitur, fa-
 tis in aprico fit, talem inter animum corpusque exftare
 nexum, uti hujufce affectio eam illius quoque facile fe-
 quetur; medium nec non fat compertum habemus,
 per quod tranfit haec affectio cerebrum effe ac fyftema
 nervofum; poftremoque ex impreffionibus in certa
 corporis organa factis omnes fingi in animo fenfationes.
 Haec *organa fenfationis* appellantur. Nil dubium, me
 judice, quin omnes ideas noftras primum ex hoc fonte
 ducimus, nempe ex motu a rebus externis in quoddam
 fenfationis organum adhibito, ac inde nervis illius in
 cerebrum fenfationis originem, ac nexus fedem, ani-
 mum inter corpusque mirabilis, perlato.

Señt. IV.

* Prim. Lip. f.ñ. DLXXI.

Seçt. IV. Hic igitur motus in cerebrum ita perlatus, mutationibus quibusdam in statu ejus effectis sensationem gignit, quae secundum modos impressionis adhibitae varios, consentaneas in animo depingit ideas. Hae autem ideae, si vi vel diuturnitate animum insigniter afficiant, facultate ejus miranda iterum quando redigantur, *memoria* dicta, quae, *judicio* etiam accedente, ideas a sensatione ortas ita modificatur, comparat, associatque, ut classem omnino novam fabricet. Hae deinceps omnes five motu statim externo ortae, five memoria, agente modo ineffabili vi in cerebro insita, cui nomen *voluntatis* est inditum, motus eis adaptos toto corpori ferunt. Attamen, ideae omnes hoc modo excitatae, si vel vi impressionum vel natura, animi attentionem insigni modo sibi asciscunt, sensationem praebent *voluptatis* aut *doloris*. Si animo prorsus fit adia phora idea nihil voluntati mutationis efficit: At quum voluptatis excitat sensationem vel doloris, voluntatem variis mutat modis dirigitque.

Seçt. V. Voluntatis, autem, hi varii saepeque vehementissimi affectus *animi* appellantur *Pathemata*; quae omnia a voluptatis sensationibus et doloris, quas sequitur idea in animo *boni malive* erga se depicta, ortum ducunt.

ducunt. Sic boni acquirendi desiderium, *amorem* excitat; *spem*, expectatio; et a possessione nascitur *gaudium*. Malum, contra, *aversionem* gignit; expectatum, *metum* incutit; *moeroremque*, praesens. Ex mali aversione fit *ira*, ejusque causae puniendae desiderio; *pudorque*, sensu mali commissi. Hae certe pathematum causae, nihilominus quatenus in cerebro mutationes ex hisce causis, vel quomodo fit, voluntatem has ideas dirigendo motus adeo varios in corpore excitare, adhuc fane caliginosa nocte latent.

C A P. II.

Quaedam de hujusce rei Physiologia.

Sect. VI. EX hoc igitur conspectu causarum pathematum tenui, impressiones quibus initio in animo excitantur, ac sympathiam illam, qua inde per totum corpus distribuuntur, plane patet cerebri primario interventione atque nervosi systematis affici. In his igitur
eorum

corum effectuum causas indagandum est, quos in omnibus animalis machinae partibus pathemata saepissime edunt.

Sect. VII. Itaque, ut hoc munere rite fungamur, primo neutiquam alienum erit, maxime autem idoneum, quasdam cerebri et systematis nervosi leges generales, quae actione pathematum praecipue afficiuntur, quam paucis potero, in medium proferre. Facile intelligi potest, ab obscuritate (Sect. V.) memorata, quod, inter has leges systematis nervosi describendas, tentamen ulla certa principia praebendi, secundum quae unaquaeque earum agere videatur, longe a proposito distat. Tametsi vero nihil hujusmodi assignemus, dummodo eas res veras esse probare possimus, ni fallimur, ad effectus pathematum facilius explicandos plurimum conducat.

Sect. VIII. Primum igitur vis quaedam in cerebro exercetur, ac inde, uti a motus centro sensusque, admodum continuo, vita superstita, in omnes corporis partes transmittitur, sive in eas quibus motus est voluntarius, seu quas non voluntatis est imperare; hanc cerebri *energiam* appellamus.

Sect. IX.

Sect. IX. Lex vero generalis vis hujus nervosae videtur, ut si quando aliquanto magis quam solito exercetur, hanc exercitationem necesse sequitur relaxatio alterna. Itaque relaxationem sequi unamquamque musculi contractionem cernimus; inde etiam exercitationes motus muscularis solitae lassitudinem inducunt atque debilitatem, quae manent, donec, exercitationibus iis peractis, energia in statu somni denuo reddatur. Huic exercitationi insolitae nomen adhibere licet *excitationis*; cerebrique relaxationi subsequenti, *collapsus*.

Sect. X. Haec energia igitur omnes corporis partes, et cor praecipue, pervadit, cujus actionem sustinet propriam. Etsi enim inter quosdam litigatum sit, cordis actionem vi sua insita sustineri posse, quia, stimulo adhibito, vim retinet contractionis, aliquanto temporis post communicationem inter se cerebrumque ademptam; tamen nihilominus certum restat, hancce vim brevi tantum, et multo quam solet debilius manere, cordisque igitur actionem et arteriarum, sanguinem in vasa extrema impellentem, a supplemento ce-

rebri

rebri energiae perpetuo pendere, pro certo habere licet *.

Sect. XI. Ab omnibus compertum est, quibus humanae structurae minima notitia, sanguinis venosi in capite reditum quodammodo singularem observari. Namque in caeteris corporis partibus, sanguis a ramis venarum minoribus in aliquanto majores, et sic gradatim redditur; hic autem sanguinem suum venae parvae in cavitates magnas, seu sinus, statim fere fundunt, et in partem quoque eum dirigunt omnino contrariam illi quo postea contendit. Haec conformatio, vasis huius propria, naturam, sine dubio, indicat voluisse sanguinis in capite tardiores esse motus. Inde plenitudo tensioque sanguinis vasorum cerebri perpetuo fervantur; et hae sane ad energiam illius rite exercendam necessariae sunt. Itaque videtur, his absentibus, adesse statum quem collapsum vocamus, atque harum incrementum excitationem quoque gignere posse.

Sect. XII. Caeterum, exercitatione energiae huiusce iuxta, ad actionem cordis propriam sustinendam, opus esse

* Nuck. Aduenograph. curios. p. 16. Whytt, Essay on vital and voluntary motions, Edin. Ph. Essays, vol. ii. p. 304.—311.

esse jam (Sect. X.) diximus. Inter cerebri statum, igitur, et cordis et arteriarum actionem, connectio existat adeo intima, ut quodcunque admodum hanc etiam illum afficit. Ad hanc connectionem longius probandum, addere licet, uti, cum haec vasa plenitudinem suam, et pendentem ab ea tensionem amittunt, quacunque sanguinis evacuatione, cerebri imminuitur energia; et exinde etiam quoad cor imminuta, producitur syncope. Hunc effectum ex tali causa oriri constat, quod positio corporis horizontalis, quae sanguinis favet itineri in arteriis versus cerebrum, perque venas impedit redeuntem, eidem plerumque obstat.

C A P. III.

Quae Pathematum actioni vel favent vel obstant.

Sect. XIII. Iis quae idonea existimavimus de hujusce rei physiologia in medium prolatis, quaenam res istae sint insignes, quae secundum haec principia jam memorata, five ad actionem pathematum promovendam,

dam, seu impediendam, vim suam praebent, nunc quærere aggredimur.

Sect. XIV. Ex intimo animum inter corpusque nexu non ambigitur quin illius operationes hoc afficiant: Attamen, quum hae intellectus operationes a motibus in cerebro existentibus (Sect. IV.) omnino oriantur, animi status in totum fere, a motuum horum ac proinde cerebri statu atque vis nervosi, ut magis hisce propagandis vel minus apto, penderet.

Quinetiam, igitur, prout hi motus haud omnibus sensationes easdem ac pathemata sequentia excitant, status indagandus est systematis nervosi qui, causis levibus, animum vividis pathematibus magis obnoxium, et in corpus reactionem horum magis violentam, reddat.

Hic mihi praecipue constare videtur ex majore nervosi systematis mobilitate. Haec quoque ex majore sensu seu irritabilitate solidorum constat; aut simul ambabus; licet enim seorsum hae existere possunt *,
tamen

* Acta Gottingen. tom. ii. p. 134. Whytt. Irritabil. p. 280. et seq. Callen. First Lines, sect. MCCCXI.

tamen in eodem corporis habitu vulgo conjunguntur. Sed, an haec mobilitatem inducat an illa, praesertim aut a fibrarum debilitate moventium pendere videtur, aut statu vasorum plethorico.

Sect. XV. In statu corporis debilitato, ad solitos motus musculares efficiendos, vi cerebri energiae majore opus est; haec autem sensibilitatis in systemate incrementum gignere oportet; eademque etiam ratione, motus quisque corpus magis stimulat, eo quo debilius. Attamen, hanc vim majorem confestim subsequitur minor (Sect. IX.) Hae, itaque, vices excitationis collapsusque subitae, sensibilitate hisce accedente, haud parum mobilitatis efficiunt.

Sect. XVI. Quinetiam mobilitatem systemati insignem addere videtur status vasorum plethoricus. In hoc, uti fibrae musculares fere debilitantur, tonus earum magis a tensione quam vi insita penderet; sed, quoniam sanguinis quantitas impetusque a quibus haec tensio nunc crescit, nunc imminuitur, mobilitas in systemate notabilis necesse producat. Haec quoque mobilitas eo periculofior erit, quo status vasorum plethoricus congestionem favet in visceribus quibusdam internis,

ternis, ac cerebri vasis praecipue, ubi fiat excitationis violenti aut lethalium haemorrhagiarum causa.

Seçt. XVII. Hanc autem systematis mobilitatem animi statum producere analogum, sat in aprico manebit. In hoc enim perceptiones levissimae, rebus ortae quae mentem parum tangere debent, sensationes homini maxime vividas excitant. Idea etiam momenti horae minime injucunda desperationem creat, dum statim post, perceptione dulciori, gaudio membra palpitant. Omnibus ejus cupiditatibus ardens, ullius vero haudquam tenax, in horas mutatur, et quod hodie summum esse bonum existimat, cras fortasse floccipendit, longeque fugit.

Seçt. XVIII. A prima et congenita corporis fabricatione plerumque oritur haecce mobilitas, nullisque remediis, nulla victus ratione, penitus corrigenda; sed rebus cursu vitae variis produci etiam, aut aliquatenus mutari, potest. Saepissime valet quibus in terris incolas demulcent tepidae aerae, hac ratione, in omnes animi affectus pronos*. In sexu foemineo magis solet quam masculo-

* Amm. Marcell. lib. xxvi. cap. 6. Cleghorn. Int. to Minorca.

Addison, account of Naples. Du Halde, hist. Chin.

masculino; nec non huc tendunt frequentes largaeque vaforum sanguinis evacuationes; eandem quoque creatalitque ignavia; et, ad hoc, usus frequens animalis victus, ebrietas crebra, omnisque animi perturbatio.

Seçt. XIX. Corporis temperamentum est quod arbitrantur veteres pathematum actioni favere, quodque bilis statu ortum, cholericum appellabant. Hanc autem sententiam memorare, idem est ac refellere. Et, si, enim, quomodo pathemata quaedam in bilem agunt satis forsan explicare nequeamus, tamen nihilominus hunc bilis statum, pathematum actionis effectum esse, non causam, et vim eorum systemati nervoso primario intendi, satis constare manet.

Seçt. XX. Systematis hujusce mobilitas igitur est, quae pathematum in corpus actioni praecipue favet; at, nil dubium quin haec, si subita sint, inopinata, atque diuturna, morbum etiam in qualicunque corporis habitu gignere possint.

Seçt. XXI. Quoniam ergo ab hujusce systematis affectibus plerique morbi originem ducunt, nil dubitandum quin, revera, pathemata vim suam morbos producendi

cendi longe lateque intendere possint. Huic vero sententiae obstare videretur, quod ex multis, quos indies cernimus, flatibus pathematum agitados, adeo sunt pauci in quibus statim symptomata eduntur morbida. Hoc profecto haud facile explicandum; sequentia autem pathematum in corpus actioni, ante omnia, obstare viderentur.

Sect. XXII. Jamprimum, quaedam corporis temperies est, ei quam dixi favere pathematum actioni fere omnino contraria, quae impressionibus vividis parum obnoxia, cerebri excitationis collapsusve insignes non patitur vices; ab hac pendet animi status in quo forsan magis valet iudicium, minus autem imaginatio, quam quo aluntur pathemata.

Sect. XXIII. Deinceps, notandum est, pathematum vim, caeteris partibus, aut vi niti, aut harum impressionum diuturnitate. Jam autem dictum (Sect. V. quod excitantur pathemata varia, prout sensationes in cerebrum perlatae, ibi voluptatis perceptiones dolorisve crearint. His ita praemissis, animum ex natura sua evitare perceptiones quibus dolet, atque eas quibus gaudet quaerere, quis neget? At voluptatis dolorisque

modi solum inter se gradu differunt, ita ut sensus amoenus, si vel fortissimus fuerit, vel admodum diuturnus, dolosus fiat; cujus igitur mentem taedebit. Hoc fortasse aliquatenus rationem sit reddere, qua sit pathemata duratione sua haud saepius esse nociva.

Sect. XXIV. Praeterea, huic accedit aliud, quod hasce impressiones minus reddat validas. Lockius, qui nomen laudesque meritas consecutus est, rite observavit, ita constitutum esse animum, uti nulla vi idearum successionem abrumpere, nec diu rei uni eidemque se intendere queat*. In statu animi, igitur, pathematibus vehementibus perturbati, cum ardet cunctaque regit imaginatio, cumque, absente judicio, inter ideas varias animus huc atque illuc nutat remigatque, saepe fit successio idearum, et pathematum inde orientium, rapida, quae forsan alia alio spectant, et quae conferta suos invicem effectus in corpore perdunt. Porro, notandum est, fieri hanc idearum successionem repentinam, in illa praecipue eadem constitutione, quam memoravi pathematibus violentis maxime opportunam.

C A P.

* Essay on human understanding, B. ii. chap. 14. sect. 13.—15.

C A P. IV.

Signa Pathematum externa.

Seçt. XXV. ‘ OMNIS enim motus animi,’ inquit Cicero, ‘ suum quendam a natura habet vultum, et formam, et gestum *.’ Ac hisce quisque animi affectus semet in corpus ad vivum depingit, et ab omnibus aliis dignosci possit. Hi, etiam, quippe qui apud omnes fere iidem sunt, sermonem constituunt universalem, incolis cujusque gentis intelligendum per totum terrarum orbem, atque nulla loci distantia, linguaeve diversitate, nec etiam ipsa consuetudinis potestate, variandum.

Seçt. XXVI. Pathemata, quidem, quae à dulci animi motu pendent, quippe qui minus vivida, haud facili nisi gradu distinguuntur. Sic *Desiderium* in vultum quandam imprimit aviditatem; flagrant oculi; totiusque corporis motibus inest vivacitas. Quum in *Spe* est

rem

* De Oratore, lib. iii.

rem optatam assequi, isthaec signa augentur; subridet vultus, ac delentur rugae curae mordacis. Superveniente autem *Gaudio*, pertentatur pectus; scintillant oculi; vultus, gestusque omnes vividissimos indicant motus, inter quos, risus, cantatio, saltatio, saepeque lacrymae.

SECT. XXVII. At omnia pathemata dolosa, vi sibi propria, insignius innotantur. Sic *Aversatio* torvo vultu se ostendit, fronteque corrugata. *Timor* pallorem efficit; tremunt artus totius corporis; membra irrorant gelidi fudores; comae stant: balbutit lingua; vox faucibus haerit; ore patulo atque oculis apertis statur, manibusque porrectis. *Moeror* contra, motibus dignoscitur languidis, et toto corpore depresso; vultu in longum extenso; oculorum hebetudine ac opertione; suspiriis altis; singultu, atque fletu. Quum autem vehemens pathema atque repentinum, periit dicendi facultas, oculi tenebris velantur, omnes torpent vires, ac nil nisi stupor manet furdus et mutus. Hoc lepide fingit Ovidius in fabula Niobes, quam, moerorem immanem, propter filios amissos, in scopulum mutasse depinxit*. Et Seneca,

C

* *Curae*

* Ovid. Met. lib. vi.

*‘Curæ leves loquuntur, ingentes stupent *.’*

Ira vero ingruente, rubescit plerumque vultus atque turgescit; in rugas dimittuntur supercilia; vox vacillat; frenduntur dentes; contrahuntur pugna; acies oculorum profilientes, coruscant ignibus; corpus pallescit tremitque; pedibus calcat, fremit homo, ac ore agit spumas;

‘Ora tument ira, nigrescunt sanguine venae;

‘Lumine Gorgoneo, saevius igne micant †.’

Pudor, autem, colore genarum ac cervicis roseo sese exprimit, inque humum oculis dimissis.

* Sect. XXVIII. Haec, igitur, signa sunt quibus varia depinguntur pathemata, ac unumquodque horum ipso et intuitu distingui possit. Haec, stratis pathematum flatibus, atque animo ut antea tranquillo ac placido, evanescunt; sed quoties aggreditur pathema ipsum, iterum iterumque nova cum vi redeunt, et tandem adeo suum tenent locum, ut omnino cedere recusant. Sic fit quod, pathemate ipso etiam diu absente, illius signa fixa evadunt atque immobilia, unde indolem ani-

m

* Hippolit. act. ii. scen. 3.

† Ovid. de Art. lib. iii.

mi indicare solent. Hoc fundamento omnino nititur ars physiognomica. Quatenus haec progredi liceat, vel secundum quae principia, incubentes in studium hujusce artis gressus suos dirigere oportet, dicere non nostrum; nec hic convenit. Nuper de hac re in lucem editae fuere aliquae observationes, quae, etsi forsan fundamento vix philosophico nitantur, ingeniosae nihilominus, et animum rebus naturae versatum haud parum delectent*. Attamen, quin haec ars eo perveniat, quo medico profit†, plurima sane invicte obstant.

C A P. V.

Quatenus valeant Pathemata, vel ad morbos creandos vel tollendos.

Sect. XXIX. Nunc partem hujusce rei praecipuam, cui omnes caeterae inserviunt, aggredi accingor. Quod si minus in aprico sit, quantum ad summum hujusce tractatus

* M. Lavauter. Essay sur les Physionomies.

† Gaub. Inst. Path. § 543.

tractatus confilium, pathematum scilicet effectus in morbis inferendis vel tollendis, referant haecenus allata; nihilominus haec varia mihi visum est imprimis in capita conjicere diversa. Hoc, enim, ni fallor, fatius; propterea quod rem principem nostram tractasse, his tantum ex itinere memoratis, animum legentis necessario distraxisset. Idcirco, lectore interea collateralia quaesitum inter haec jam dicta relegato, in corpus pathematum effectus hic tantummodo notare decrevi.

Sect. XXX. Prius, vero, quam incipiam, hoc vellem notandum, quod iter indagare, quo pathemata quaedam certas gravius afficiant corporis partes, caeteris minime sentientibus, non conabor. Actionem, revera, vaforum partis compatiens auctam esse, sat perspicuum habemus; quod fluori energiae increto, inque nervos eorum praecipue deducto, attribuendum. Sed qui fit quod perceptiones quaedam semper nervos certos excitant, parum affectis caeteris*, aut etiam collapsis, fines,

* Partes cerebri nervorumve originis diversas inaequaliter nonnunquam eodem tempore excitari, Vid. Cullen, First Lines, sect. MDXLVI.—MDXLIX.; et ad hoc idem longius probandum sufficiat, credere adducor, quod pathema hocce in functiones vitales, illud, autem, in animales vel naturales, effectus suos praecipue edit.

nes, fateor, scientiae nostrae longe exsuperat. Tametsi vero, quomodo operantur hae sympathiae adeo incertum sumus, sententiam Stahlorum respuere, animum nempe rationalem motus corporeos excitare, quales ei optime salutem ferant, nequidquam pensi habeo. Huius sententiae incongruitas, ex hoc hercle ipso abunde constat, quod motus editi saepe fini, cui credere fas sit pathemata inservire, neutiquam adapti sunt. Sic timor, sine dubio, nos vitare ac fugere vult malum imminens: At, an aliquid huic conferat inde nata corporis debilitas, animique deliquium? An furentem bilis motus, diarrhoea, aut epilepsia, aliquid adjuvant illi poenas fumentem quod sibi fuerit injuriae? Hi igitur motus nobis inter alia sunt denuo recensendi, quae a legibus pendent animum inter corpusque nexus, altissime, ut olim dixi, atra caliginemersis.

Sect. XXXI. Pathemata animi omnia in corpus agunt fluxum energiae nervosae, aut augendo, aut minuendo, unde rite in *Excitantia* dividuntur et *Depri-
mentia*.

EXCITANTIA.

E X C I T A N T I A.

D E S I D E R I U M.

Sect. XXXII. Omnes desiderii motus cerebrum excitant, cunctasque corporis roborant functiones. Horum omnium, quae pectora perturbant mortalia, nullus *amore* ardentior; nullius autem effectus, vel animum corpusve infestantis, deteriores.

Quoniam amantem nunc spes dulcissimae alunt, ac nunc vicissim atrae mordent formidines, corpus modo excitatur modo deprimitur. Quum rem optatam consequi sperat, cerebri excitatur energia; cujus fluxu in fibras cordis musculares aucto, illius vis intenditur, acceleratur sanguinis circuitus *, omnesque promoven-
tur secretiones. Quinetiam haec energia praesertim ea organa petit adeo veneris praeliis mirifice apta gratis, ac hisce fert stimulum qui systema totum cito suavissime movet, et amatores accendit oscula roseis label-
lis

* Inde menses ante diem excitatos memorat. Hall. illust. in Phys. Element. tom. v. p. 582. Habet. Bierling. adyer. p. 39.

lis voluptuosa carpere, ocellisque loquaculis in mutuos
 pronos ruere amplexus. Oh! terque quaterque beati,
 si hominibus daretur talibus immistis frui voluptatibus:
 Ast, cheu!

—————*Nil sine magno*

Vita labore dedit mortalibus *.

Enimvero amoris flagranti morborum dira cohors, ipsa
 etiam mors, instant. Ita, frustrato amore, languescit
 animus atque lugubrat, et somnus, cujus gremio mul-
 cente mordaces omnes deponimus curas, quamvis
 impense vocatus usque ad auroram fugit; inde vero
 debilia fiunt omnia membra, ac, prae caeteris, ventri-
 culi actio, unde cibi fastidium, impedita concoctio, chlo-
 rosis, lentaque tabes et insanabilis, quae aegrum confumit
 sensim et destruit. Nec non inducitur quandoquidem
 catalepsis †, stuporve vigilans, tarda febris nervosa, ma-
 nia ‡, seu melancholia meditabunda, quae saepe mise-
 rum, horrendum dictu! delirio correptum, manus cru-
 ore suo foede maculare praecipitem agit.

Sect.

* Hor.

† Tulp. Obs. Med. lib. i. cap. 22.

‡ Eph. Nat. Cur. decad. ii. A. obs.

Seçt. XXXIII. Caeterum, a desiderio non modo oriantur haec mala, sed et bona quaedam haud minima. Vi sua stimulantē, fatuitatem* sanavit, paralyfin† mitigavit fugavitque, febrem‡ summovit, ac quodammodo || morti obstitit instanti. Praeterea, morbis laboranti plurimum auxilio fit, quos animus tristibus moestisque intentus gignit alitve.

S P E S.

Seçt. XXXIV. Munerum omnium quae generi humano impertierunt Dii immortales, animos inter vitae angustias delinire, nil hoc magis conducit, quod, dum spirant, sperant. Hoc solum miseris, rebus in arduis, solatium columenque, quo labefacto, Herculeis oppressi succumbunt laboribus.

Spes,

* Amata puella possessa Aretaeus, diut. ii. cap. 5. sola spe mutui amoris, excitata in Catocho Tulp. observ. loc. cit.

† Andry Orthoped. p. 98.

‡ Plin. lvii. c. 50.

|| Pechlin. liii. obs. 3. Louis signes de la mort. p. 129.

Spes enim fluxum promovet atque vim energiae nervosae; gyro sanguinis novas conciliat vires; musculorum motus praeter solitum faciliat, alacresque reddit; et secretiones augendo fibrasque totius corporis musculares, ac ventriculi praesertim, roborando, cibum appetentiam tum concoctionem adjuvat. Siquidem, igitur, spes ad hos optimos perducatur effectus, animum laetum, aerumnisque vacuum, non temere dictum sit, haud parum longaevitati conducere. Hisce etiam fatis constat, quantum morbo, quo vires confectae laboranti prodesse possit, animum spe fovere, utcunque inani, morbique celare periculum. Neque profecto ambigitur quin haec ipsa fiducia, nulla accedente ope alia, morbos vincere etiam gravissimos solet*. Enarrat Doct. Ives, 3tio ante kal. Feb. 1774, in mare Mediterraneo, viros septuaginta in navi scorbuto laborasse, ac 3tio ante mensis ejusdem idus, testatur idem, cum classem appropinquabant hostium, laeta fiducia victoriae elatos, omnes ad unum officio quemque suo fungi potuisse. Hujusmodi etiam accedere licet exem-

D

plum

* Laurent. a Medicis Peires. vit. p. 261. Schelhanmer adfect. anim. p. 219. Sanata melancholia, Trallian, l. i. Catalep. Schelling aeger Catalept.

plum alterum insigne. Breda obsessa, et grassante inter milites scorbuto, quum res alibi male evenisse pervulgaretur, militesque animo deficerent, morbum magnopere faevuisse memorat Mynheer Vander Mye, atque exitu evasisse plerumque funesto: Nuncii vero laeti adventu, cumque statim tristitia omnia expulerunt ac lugubria, milites aegrotantes cito convaluisse, morbumque, nullis remediis aliis adjuvantibus, penitus coercitum fuisse, refert.

G A U D I U M.

Sect. XXXV. Dum gaudio dulci exiliunt membra, secluduntur curae mordaces, omnesque quas sibi fingit animus imagines, dilectissimis candent coloribus; nunc dies it gratior et soles melius nitent; nemorum chori suavius cantare, flores pulchrius nasci, videntur. Nunc amicitiiis gratis divum donis ardet pectus; nunc levibus amoris uritur flammis.

Quoniam haec dicta de spei in corpus effectibus aeque gaudio propria sunt modico, nunc hujusce
effectus

effectus notando fortiores tantum opus fit. Si vi permagna in cerebrum sese exercuerit pathema, inducta vero excitatione non adeo pollente ut actionem vis vitalis laedat, insequitur collapsus; quo, impedito energiae versus cor itinere, producitur syncope *. Ab hac autem ipsa excitatione, iis, qui insigni systematis nervosi mobilitate ad epilepsiam † procliviores, hicce morbus facile obrepit. Deinceps, gaudio diuturno, saepe exoritur phrenitis, atque, aucto etiam sanguinis impetu, excitationis vi fons perturbatur idearum, morbusque in insaniam transit ‡, seu maniam furibundam.

Quum, A. D. 1720, Londini conturbatum esset societatis aerarium mercaturae in mari Pacifico faciendae, multos, suis omnibus inde amissis, spe quoque divitiarum dulci frustrata, in maniam abiisse; multo autem
plures

* Hall. Elem. Physiol. tom. v. p. 581.

† Cullen celeb. Praelect. et Prim. Lin. sect. MCCXCI.

‡ Mead. Monita ac praecept. med. p. 48. qui loc. cit. memorat, se a Doctore Hale (tunc in nosocomio maniacorum Londini medico) saepe audivisse, ‘Illum multo plures curae suae commissos tractasse, quos ad immensas opes evexerat fortunae favor, quam quos iniqua fors ad miseriam et pauperiem redegerat.’

plures qui, eadem ratione, acervos aeris ingentes congesterunt, eundem exitum infaustum expertos fuisse, traditur.

Quando autem repentinum pathema ac vehemens, adeo nonnunquam excitatur cerebri energia ut, per quoddam tempus, vis vitalis impeditur motus, quod excipit apoplexia, vel etiam structura cerebri organica, a cuius vigore integro pendet hicce motus, prorsus destruitur, atque mors insequitur subita*. Hujus non defunt exempla multa ac praeclara.

Sophocles, quum primum una ex illius tragoediis, coram frequenti populo, laboribus adspirante, exhiberetur, gaudio effraenato, inter omnium plausus moribundus cecidit. Hoc ipso modo, cum filii, post palmas ludis Olympicis praereptas, caput ejus coronis suis decorabant, laetus animum effudit pater Diagoras. Cur quoque

* Stief. de somn. p. 30. Pechlin, l. iii. c. 3. Boerh. de morb. nerv. p. 553. Lotich, l. iii. c. 4. obs. I. Sanctor. sect. vii. n. 1. Galen, valet. tuend. p. 440. Thoresby, nat. hist. of Leeds, p. 625. Neptis Leibnezii hist. de l'Acad. 1716. Behren, diactet. p. 436. Nicholls, anim. med. p. 16.

quoque memorem quod matri beatae, filii Romam a praelio Cannae incolumi ac inopinato reditu, forti cecidit?

I R A.

Seçt. XXXVI. Ira, prae omnibus animi pathematibus, tum inter cives aut gentes tetras concitando discordias, tum corpus uniuscujusque laedendo, nociva.

Eadem ratione ac gaudium, magnopere, scilicet, cerebri energiam excitando, eosdem fert morbos. Caeterum, uti ad cor praecipue nititur haec excitatio, atque vim sanguinis circuitus ac velocitatem multum adauget*, istos reddit periculosiores morbos, novamque aliorum catervam inducit. Namque, sanguinis impetu in capite aucto, ibi plus justo distenduntur vasa sanguifera: Hinc altius excitatur cerebrum, ejusque fluxu
energiae

* Viribus in moribundo auctis Schwenke haematol. p. 20. Kaauw impet. fac. p. 429. Floyer, Pulswatch. n. 91. Hall. Physiol. l. c. et l. xi. p. 584.

energiae in universas corporis fibras musculares copiosius transmissio, mirum in modum crescunt vires. Hoc de phreniticis maniacisque luculentissime apparet. Haec sanguinis vasorum distentio, cephalalgiam, epilepsiam *, phrenitidem † gignat, aut ‡ apoplexiam. Ast irae potestas hisce non continetur finibus; in caeteris, enim, corporis partibus ejusmodi edit effectus: Inde derivantur viscerum phlegmasiae || complurium ac haemorrhagiae §, ruptae cicatrices **, ac lethifera gangraena ††. Hoc motu sanguinis per vasa praecipiti, nocivum aliquid sibi adsciscunt secretiones, quod aliis

* Cullen. First Lines, § MCCXCI. G. V. Swieten. tom. iii. p. 393.

† Mania ex ira orta apud Hoffman, iii. p. 263.

‡ Becker Cultrivor. Wenceslaus Imp. &c. Wier de Ira, p. 795. Wolf. L. ii. n. 5. Asphyxia Malphy. posth. p. 45.

|| Hild. Cent. i. obs. 17.

§ Boerhaav. tom. ii. p. 451. 452. Hild. Epist. i. Menses inde subito nati Lallamant mecan. des pass. p. 168. Haemorr. uteri Rudolphi. Narium in Attila. Sudor sanguinis Raserynski, tom. ii p. 456. Pechlin, iii. 25.

** Hildan. Epist. i.

†† Albert. Med. leg. tom. iii. c. 134. Quesnai de la Gangrene.

aliis impertitum morbos fert. Hac ratione, vulnus animalis ira tumentis morfu inflictum, saepe medendo difficillimum, exituque * infausto evenit. Lac quoque nutricis ira incensae morbos infanti intulit varios †.

Praeter haec quae in systema totum efficit ira, in hepar etiam praecipue deducitur, ibique alios parit morbos. Hinc, prae caeteris, ingruit hepatitis, bilisque subito agitata, nunc per vomitum ‡ nunc per diarrhoeam || ejicitur.

Sect. XXXVII. Hi effectus sunt soliti pathematis hujusce in morbis creandis corporeis; at hac ipsa potestate, qua morbos intulit, quosdam etiam sustulit. Mutitatem § enim summovit; arthritidem **, podagram,

* Hildan. cent. v. 75. cent. i. 85.

† Eph. Nat. Cur. Dec. ii. v. ix. p. 70. iii. v. ix. et x. p. 298. Sanguis in puero per os, oculos, nares, anum, pudendum, incitatus a nutricis vehementi ira, Albin. prav. sang. p. 32. Idem, S. Miss. n. ii.

‡ Young, Opium, p. 113. Icterus Albin. pravit. sang. p. 50.

|| Behrens, Diaet. p. 429. Bagliv. p. 150.

§ Act. Hafn. i. n. 71. Hist. de l'Acad. 1738, hist. 5.

** Barthol. ii. 28. Cent. vi. Salmuth. i. c. 48.

gram * sanavit, et paralyfin †. Quippe etiam ad hepar praefertim nititur irae vis, illius obstructionibus remedio ‡ fit.

Idcirco, quoniam inde oriantur tanta commoda, an unquam quasi remedium adhibere liceat? Huic verbis Gregorii elegantiss. respondeatur, ‘ Vehementiores affectuum vere excitantium, veluti ira gravis, aut gaudium subitum et effraenatum, quamvis insignem vim musculis nostris statim concilient, tamen haec ipsa vis adeo subito inducta, brevi solet disperire, succedente saepe mira debilitate atque languore, quae corpori multo plus noceant, quam vigor adeo fugax compensare potuisset. Igitur, nisi in quibusdam et sane rarissimis exemplis summae et diuturnae debilitatis, nullis aliis remediis summovendae, neque decet neque licet remedium adeo ambiguum experi-
ri ||.’

DEPRI-

* Barth. ibid. Pech. l. iii. obs. 26.

† Wolf. l. ii. c. 5. Marcell. Donat. p. 640.

‡ Post obstruct. Schurig. chylol. p. 628.

|| Conspect. Med. Theor. § MCXXVI.

DE PRIMENTIA.

AVERSATIO.

Sect. XXXVIII. Quaedam sunt sensu percepta, quibus cuncti fere abhorrent homines, multa vero, contra, quae a quibusdam fastidita, plerisque haud averfanda, imo gratissima videntur. Inter haec, odores certi, qui in nonnullis sedative pollent, recensendi. Hunc effectum ex averfatione oriri constat, quia, odore aliis adhibito quibus haud ingratus, non sequitur idem *: horum enim plerique natura stimulant. An autem haec fastidia a fabricatione corporis congenita nascantur, an fortuito procreata, indulgentia crescant, non sat compertum habemus: Huic vero magis credere adducor †.

E

Averfatio,

* Cullen, First Lines, § MCLXXXII. MCCIV.

† Plerumque oriuntur, me iudice, hae rerum antipathiae propriae, quae plerisque gratae sunt, vel saltem adiaphora, a combinatione harum fortuito iterata, successione, vel affinitate quadam cum ideis nonnullis

Aversatio, nihilominus, utcunque nata, cerebri vim energiae attenuat, qua igitur quoad cor deficiente saepe obrepit syncope. Caeterum, hocce pathema effectus suos in ventriculum ac intestina praecipue deducere videtur; ubi nauseam creat, spumam de ore fluentem, cibi vomitum *, aliquandoque diarrhoeam † funestam.

T I M O R

nonnullis magnopere fastiditis, a quibus autem alteras tandem sejungere haud possumus. Hac ratione, igitur, hae adeo fixae evadunt aversiones, ut judicii vi nulla vinci nec minui possint. Hinc profecto canit naturae optimus pictor,

Masterless passion sways it to the mood

• Of what it likes or loaths.

MERCH. OF VENICE.

Huic, porro, antipathiarum originis sententiae multa enixe suadent exempla. De quibus conf. Cullen. et Gregor. profes. illust. praelect.

• A beta rubra visa, Rivin. imag. vir. med.

† Ex talpa poculo injecta, funesto eventu, Valent. pand. med. leg. P. i. S. 6. c. ult. Phil. Tran. n. 29. Ex fele comesta, cum disceret fuisse felem, quam esset pransus, Lilav. cruent. cad. p. 269.

T I M O R.

Seçt. XXXIX. Omnia, ingruente timore, species induunt animo formidulosas; judicii nil valet potestas; imperio enim detrusum, imaginibus cedit vagis ac terrificis. Nunc in conspectum adfurgunt fabulae, manes, lemuresque nocturni; nunc aures sonitus captant vanos; nunc omnia periculosa finguntur; pericula laevissima mortem minantur atram.

In corpus quoque pessimos saepe praestat effectus. Energiae cerebri minuendo, omnes musculorum motus tum voluntarios, tum invitos, debilitat: Cor palpitat tremitque, ac demum haud raro obrepit syncope *; adeo languescit sanguinis gyros, ut, vena secta, nil emititur. Proinde haemorrhagias †, menses ‡, lacque || nutritis

* Fritsch, p. 22.

† Panarol. Pentec. v. obs. 17. Morhof. stentor *δαλονκλας*, p. 232. 233. Waldschmidt de imagin. Hunald vapeurs, p. 366.

‡ Ex terrae motu, Bagliv. p. 537. Spindler, obs. 70.

§ Morton, p. 460. la Motte, obs. 38. Rivine de peste, p. 843.

tur epilepsia *. Omnes praeter solitum crescunt vires †; sic muti facultatem recuperant loquendi ‡; membris paralyticis redditur motus ||; arthritis §, febres intermittentes **, delirium ††, diarrhoeaque ‡‡ tolluntur. Hi ipsi quoque effectus ab horrore proveniunt, seu averfatione quam repente tulit sensatio ingratissima.

Sed quomodo haec corporis depresso et excitatio eandem agnoscant causam? Haec quaestio omnes fatigavit physiologos; quapropter Hallerus illust. quo n-
dum

* Haen rat. med. v. p. 122. Hild. iii. obs. 8.

† Gregor. illust. praect. rigiditas spastica ex terrore mortis, Bierling. Thef. Theor. Pract. obs. 56.

‡ Battus ex Leone viso, l. x. p. 581. Epist. Taurin. p. 79.

|| Hoffman. de Thorace, p. 72. Post paralyfin 30 annor. Diemerbroeck, p. 500.

§ Boyl. obs. et exper. Pechlin, iii. n. 24.

** V. Swieten, tom. ii. p. 327. Petzold, obs. 20. Chiffet, pulv. febr. orb. amer. p. 20. 21. Lehmann. Juch. de util. et subtil. anti-feb. n. 16.

†† Hist. de l'Acad. 1752, n. 2.

‡‡ Loefsecke Arzneymittel, p. 115.

dum hunc solveret Gordianum, timorem ac terrorem quasi natura prorsus inter se diversos, sejunxit. Pro, vero, hujusce solutione, Culleno, professori nostro sagacissimo, gratias quam maximas debemus. Hic enim docuit, primus omnium, vim eandem quae systema magnopere ac repente sedat, quandam illius inducendo reactionem, stimulare revera posse. Talem in statu corporis certo fieri reactionem, non hic probando opus est; namque in sententiam vis medicatricis naturae omnes abiere medici: Attamen, hanc exerceri vim, quum corpori adhibetur praecipue vis sedativa, aequè indubitandum duco. Quid vero plura? Nonne haec ipsa res in primis Culleni medicinae lineis, quae unumquemque penes sunt, summo tractatur acumine?

Hic autem occasionem amplectar datam grates referendi, ob indicia favoris erga me innumera (quae dum memor ipse mei grato animo recordabor) laudesque persolvendi, quas optimo jure meretur hocce nomen spectabile illustrissimumque: Mihi enim dicere, animoque versari, quantum patriae decoris, quantum scientiae medicae emolumentis, operibus attulit immortalibus,

maxime

maxime jucundum. A tali laude, fateor, nequidquam honoris huic accedere possit; nam quidquid ex illo amamus, quidquid mirati sumus, manet, manfurumque est in animis hominum, aeternitate temporum, fama rerum.

M O E R O R.

Seçt. XLI. Quum Moeror mordax animum exedit miserum, muneribus vitae suavissimis aegre potitur; quae olim exoptabat, nunc fugit; quae exhilarabant, angunt. Sol etiam ipse splendide effulgens, florens rosis odoratis terra, zephyri per nemora tepidi levi fufurro suave sibilantes, carmina avium dulcia, mirabilis denique naturae virtus et ordo, parum aut nihil delectant.

Neque hoc quidem mirandum; corpus enim moeror non secus ac animum graviter afficit. Cerebri fluxum energiae diminuendo, vim cordis frangit, sanguinisque

guinisque gyrum adeo debilitat, ut respiratione crebra, quae sanguinem per pulmones impellat, opus sit. Saepe animi deliquium vel palpitationem * inducit, omnes minuit secretiones †, sistitque menses ‡. Corpus admodum infirmando, schirros ||, cancos ingravescere, vulnera in gangraenas § abire putridas facit, morbosque reddit ** lethales.

Atqui hoc, eadem ratione ac caetera pathemata deprimentia, ventriculum praecipue afficere vult, et statim fere miram organi hujusce debilitatem atque ciborum fastidium affert ††. ‘Qui laborant animi pathemate,’ inquit Baglivius, ‘potissimum corripuntur solent morbis ventriculi, ut inter caeteros observavi in mor-
F rentibus,

* Morgagni de sed. et caus. morb. i. p. 254.

† Robinson, food and discharges, p. 77. Sanctör. de perspir. vii. n. 15. Hinc diarrhoea ex moerore, Bagliv.

‡ Schelhammer. Schurig. Parthenol. p. 156.

|| Pechlin, l. iii. obs. 21.

§ Dionis, p. 472.

** Intra duas horas ex peste extinctus, post insignem moerorem ; Recueil sur la Peste, p. 244. Anson's Voyage.

†† Schelhammer, p. 176.

‘rentibus, qui conqueruntur primo de languore ventriculi, mox inappetentia, oris amaritie, fiti circa horas matutinas, cruditatibus, flatibus, et tensionibus hypochondriorum *.’ Uti moerentibus semper deficit salivae secretio, annon haec symptomata a consimili defectu ventriculi fluidorum oriri, debilitate insuper accedente, pro vero habeamus?

Interdum, tam effraenatus est moeror, quod morti subitae occumbit miser †; plerumque, vero, omnibus primum infirmatis viribus, deinde sensim perditis, in insaniam abit meditabundam, vel, tabe lenta exhaustus, spiritum inscius extremum efflat ‡.

Seçt. XLII. Porro, hoc animi pathema, aequè ac effectus hosce morbosos, nonnunquam in corpore etiam salubres, utcunque raro, praestat. ‘Non profecto defuerunt exempla haud pauca,’ fert Gregorius illust. verbis

* Bagliv. opera, 4to, p. 565.

† Cardan. subtil. p. 375. Robinson on Spleen, p. 91. Nicholls de vi anim. med. p. 16.

‡ Nov. Comment. Acad. Petrop. tom. ii. p. 395. Marcell. Donat. p. 282.

verbis cujus iterum uti nitidissimis haud rubescam,
 ‘ ubi tales animi affectus, five casu five consilio excita-
 ‘ ti, in variis morbis saluberrimum effectum sedantem
 ‘ praestiterint; veluti in febribus intermittentibus, in
 ‘ infania, in morbo comitiali, et in morbo hysterico,
 ‘ &c. Fertur etiam nonnullos morbos a nimia generis
 ‘ nervosi mobilitate pendentes, ideoque aliquid reme-
 ‘ dii sedantis requirentes, inter aestus belli civilis rari-
 ‘ us accidere, vel si prius incubuissent, tum fere cessare
 ‘ et quasi tolli, cum civium animi gravibus curis et sol-
 ‘ litudinibus five publicis five privatis occupati essent
 ‘ et lacerati; et magis certum est, nonnullos talibus
 ‘ morbis laborantes, sub gravissimis aerumnis domesti-
 ‘ cis, quales forte validiores homines oppressissent, in-
 ‘ terdum praeter omnem spem convaluisse *.’

P U D O R

* Conspect. Med. Theor. T. ii.

P U D O R.

Seçt. XLIII. Pudor in animum effectus semper præstat optimos, inque corpus raro periculosos.

Vim energiae tamen cerebri minuendo, menses * suppreffit, et sanguinis reditu venosi a capite impedito, venas ibi ruptas fuisse fertur †. Hac eadem ratione apoplexiae causa fit : Nonne huic Diodori logici interitus attribui debet, qui, pudore suffusus quod gymnasium suo, coramque populo frequenti, quaestionem perdifficilem ab aliquo in medium prolatam solvere non poterat, ad humum illico mortuus cecidit ?

NUNC

* Schelhammer, p. 180, ex Ballonio.

† In temporibus cornax Enchirid. p. 26. Schenk, p. 141. Sal. Alberti de Sudore cruento,

NUNC quod agendum in hisce studiorum medicorum primitiis pro virili perfeci. Quod si minus scite ad hanc rem enucleandam multa aggressus sum, alia autem penitus omisi, nec omnino mihi incio, rogo ascribas, nec desidiofo, lector benevole! Multa, enim, operi huic pro rei dignitate peragendo enixe obstant: Rei ipsius profunditas, calamus quo scripta juvenilis, lingua haud vernacula, ac temporis potissimum angustiae, causas ejus status inculti praebent satis superque luculentas: Quas igitur allegabo.

F I N I S.

When the student is first introduced to the study of mathematics, it is often found that the subject is not only new but also very difficult. The student must learn to think in a new way, and to use the language of mathematics. The first step is to learn the basic facts and definitions. This is often done by the teacher, who gives the student a list of facts to memorize. The student must then learn to use these facts in a logical way. This is often done by the teacher, who gives the student a series of problems to solve. The student must then learn to prove the results. This is often done by the teacher, who gives the student a series of theorems to prove. The student must then learn to apply the results to new situations. This is often done by the teacher, who gives the student a series of problems to solve.







